



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

7. Dies Octobris. Non hominibus tantum sed & rebus persona demenda est, & reddenda facies sua. Seneca Epist. 24.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)



Etus Virtute: Nullus enim esse tam perspicax Intellectus potest, qui vitiis dominantibus non hallucinetur, & in varios errores non prolabatur. Nam de rebus perinde, ut affecti sumus, judicamus. Hinc opinionum portentosa, hinc sectarum divortia, hinc Hæreticorum turbulenta dissidia fluxerunt, quæ enim quisque appetebat, sic ad ea præceps amentia ferebatur, ut cum esset flagitiosissima, tamen sancta esse opinaretur, & crederet: nam facile quæ volumus, credimus, nec cupiditatem Rationi, sed Rationem cupiditati parere cogimus. Ergo morum corruptelam, tanta mentis est cæcitas consequuta, ut nefariis sceleribus, non impunitas modò, sed Divinitas sæpè sit tributa: siquidem amorem illum, quo homines turpissimas voluptates inflammato animo concupiscunt, Deum summum Poëta Cæcilius appellavit. Contra, qui sobrii, qui temperantes, qui verecundi, qui casti, prudentissimè loquuntur, latentemque eruunt Veritatem. Ex quo efficitur, ut temperatione corporis valde proficiamus in scientiis, compressis illis partibus, quæ nimio cibo, & potione immoderata exultare, immodiceque jactari solent. Saluber enim, & moderatus cultus, & victus teste Socrate, animi partem illam, quæ mentis, & consilii est, agit, exsulcit, erigit. Contra verissimum est illud adagium. *Plenus venter non studet libenter.* Concordat cum illo adagio, Poëtæ axioma.

*Ebrius atque satur, nunquam bene philosophatur.*

## 7. DIES OCTOBRIS.

Non hominibus tantum sed & rebus persona demenda est, & reddenda facies sua. *Seneca Epist. 24.*



Imagi-  
nario.

I.

**N**E erret Intellectus, & cum eo  
Affectus, ille iudicando, hic  
amando, corrigenda est Ima-  
ginatio, quæ dum fingit, &

pingit varias, & vanas imagines, creatur multis æter-  
na perniciēs. Imaginatio imponit rebus omnibus  
larvam, inducit eas velut in theatrum personatas:  
Sic ut aliter intellectui appareant, quam sint. Sed ju-  
xta monitum tesserae, sive consilium Senecæ, detra-  
henda est rebus persona, ut eam de facie cognosca-  
mus. Nam personata illa bonitas, quam nostra fa-  
brefecit Imaginatio, delicatissima, & tenuis est, con-  
tactu dispergitur, comprehensione diffluit, uterque  
digitos collabitur, quasi aquam pugno stringeres. Si  
non tædeat, nec pigeat, ducam te ad fontem ipsissi-  
mum omnis, vel quod patimur, vel facimus, mali.  
Quod vetat Deus homini tanquam malum animæ,  
hoc Dæmon proponit homini, tanquam bonum  
corporis, ut sicut vetitum sub specie boni tendat, at-  
que ita malus esse contendat. Quod autem jubet  
Deus homini bonum, hoc Dæmon ei repræsentat ut  
malum, ut quantum homo averfatur malum, tantum  
averfetur quod jubet Deus. Hoc est quod luget Isaias.

(a) *Vae qui dicitis malum, bonum, & bonum malum*  
&c. Hinc planè omnis origo perditionis: nam sicut  
perditio est à peccato, ita peccatum ab hac falsa boni,  
& mali Imaginatione. Vide hic catenatam malorum  
seriem.

III. Non peccamus nisi voluntate, voluntas non  
peccat, nisi dum se à bono convertit ad malum, non  
ita se convertit, nisi ab Intellectu mota, non ita mo-  
vetur ab Intellectu, nisi ipse Intellectus erret, non errat  
intelle-

(a) Cap. 5.



intellectus, nisi per sensus corrumpatur, non corrumpitur nisi tentatus, non tentatur nisi à concupiscentia concupiscentiam inflamat Dæmon, cum illa contra nos convenit, ut nos circumveniat. Hic potes observare hanc malorum catenam trahi ab intellectu errante, induci que in hunc errorem ab imaginatione. Sed unde quædam quæ apprehendimus bona, sonant tam magnificè, mulcent tam blandè? Unde perfido perstringimur fulgore? Nihil est nisi videri, et purpurata umbra, intus seletus; & solum compagis nullitatis, & solitum nihil, & rarum deceptionis artificium, quorum animi, & vita putari est; nimirum talis cuique quælibet res apparet, qualem ei imaginatio larvam imposuerit, fit nonnunquam ut duo quidam simillima, & eadem cruce premantur, v.g. Paupertatis molestia: alter excitatoris animi, suam crucem putat esse levem, imò plumeam, alter abjectioris gravem, imò plumbeam. Hic res eadem est, sed opinio diversa. Mala nostra ad opinionem nostram aut crescunt, aut decrescunt. Gravia patitur, qui hoc unum jam sibi persuasit, se pati gravia. Hinc prudenter imaginationem pluvie assimilant; quæ in terras illapsa, sexcentas ranunculas procreat. Non malè imaginatio Venetorum conspiciis conferatur, quæ turbam è viginti circiter militibus, aspectabilem repræsentant exercitum.

III. Perinde liberæ mentis conceptus imaginando componimus, sicut imponimus rebus nomina, nobis tamen sic imponimus. Placitum humanum fuit hanc vocem *Leo*, fortissimum animal, istam, *lomo*, sapientissimum nominare, poterat & ex confessione populorum, nomen *Leo* significare timidissimum,



num, & fugacissimum leporem, vel bardum asinum, sicut nunc animosissimum, & regium animal. Poterat & vocabulum homo, insulsum peponem indicare: communi conventione ita pactum est, non naturâ suâ: pari abutimur libertate conceptibus nostris, & libero, perverso tamen, hominum consensu, opinionem magnitudinis, & pretii tribuimus. Non quæ habent magnitudinem, sed habere volumus. Sic majoris æstimamus aurum, metallum iners humanis usibus, quàm ferrum nobis tam officiosum. Possent, & eâdem conventionem gentium, commutari opiniones, & pretia rebus indita: Erraverunt apud nos primi rerum taxatores: elegere ad beatitatis titulum, quæ sit necesse inquirere, quæque natura, quia veruit, abscondit. Cur in æstimatione auri, relegamus felicitatem ad terræ viscera, subter saxa, & fimum, ad Inferorum suburbia? Quomodo ex regione miseriæ efferet se felicitas? Hoc placitum nostrum fuit; placeat mutare, & iniquum rescindere opinionis pactum, & felices inter miseras erimus. Præclare igitur dixit Epictetus. (a) *Homines perturbantur non rebus, sed iis quas de rebus habent opinionibus; verbi causa: Mors non est malum; alioquin etiam Socrati ita visum esset, sed opinio de morte, quæ malum eam facit. Cum igitur impedimur, aut distrahemur, non alios culpemus, sed nosmetipsos: hoc est nostras opiniones.* Itaque:

*Vanos mitte metus, cupias si vivere letus.*

## 8. DIES OCTOBRIS.

Cor cogitando tenetur in crimine, licet corpus immune videatur ab opere. *D. Chrysostomus. De levium peccator periculis.*

(a) *Enchirid. c. 10.*

I. Quis-